

socium maturæ ætatis et probatæ vitæ. Ratione necessitatis possunt ex sola licentia Abbatissæ ingredi monasterium medici, chirurgi, operarii et opifices. Tandem quoad ingressum in monasterium monialium præ oculis haberi debet Const. *Salutare Bened.* XIV. 3. Jan. 1742 § 3. ubi sub pœnis supra relatis interdicitur hujusmodi ingressus quibuscumque personis etiam S. R. E. Cardinalibus, exceptis locorum Ordinariis, aliisque superioribus, quibus tamquam Ordinariis monasteria subjecta sunt in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis.

27. Ad hujus materiæ complementum animadvertimus clausuram aliam esse papalem, aliam episcopalem. Clausura papalis locum habet in Monasteriis monialium, in quibus adest solemnitas votorum, adeo ut positis votis solemnibus, clausura de jure subjiatur protectioni, et tutelæ S. Sedis. Const. S. Pii V. *Circa pastoralis officii* et S. Congr. EE. et RR. in *Policastrensi diei 6. Dec. 1839. Collect. Card. Bizzarri pag. 96.* At non desunt exempla domorum religiosarum votorum simplicium, quibus ex speciali dispositione S. Sedis imposita est lex clausuræ papalis. *Collect. loc. cit.* — In genere autem clausura episcopalis locum habet in domibus religiosis votorum simplicium, quoties ab Episcopo alicui ex istis domibus clausuræ lex fuerit præscripta. Differentia autem inter papalem et episcopalem clausuram in eo posita est, ut in papali clausura S. Sedes tantum non autem Episcopus dispensare possit, dum episcopalis clausura ab Episcopo dependet. Quare posita clausura papali Episcopus tantum in casibus expressis in jure dispensare potest, in aliis requiritur licentia S. Sedis, tum quoad egressum monialium tum quoad ingressum personarum extranearum in monasterium.

De clausura virorum.

28. Clausura virorum quoad egressum ex Const. *Nullus* Clementis VIII. super reformatione regularium consistit in eo ut nullus religiosus e septis monasterii absque licentia superioris, et accepta benedictione exire audeat. Contravenientes gravi pœna etiam carceris arbitrio superioris plectuntur. Animadvertunt vero DD. sufficere licentiam rationabiliter præsumptam Superioris, nec egressum sine licentia si fiat absque contemptu et scandalo lethalis peccati reitatem secumferre. Quisque autem intelligit nos hic non loqui de fugitivis et apostatis qui certe rei sunt gravis culpæ.

29. Clausura monachorum quoad ingressum in eo sita est, ut in monasteriorum septa mulieres omnes ingredi prohibeantur etiam prætextu cujuscunque privilegii concessi ante S. Pium V. et Gregorium XIII. Nam revocantur hæc privilegia ab istis Pontificibus, a S. Pio V. in Bulla *Regularium personarum* et subsequente ejus declaratione *Decet Romanum Pontificem*, a Greg. XIII. in Const. *Ubi Gratia.* Ex quibus Constitutionibus patet omnes et singulas mulieres sive ex prætextu privilegii, sive absque titulo privilegii ingredienti, et ipsos religiosos introducentes incurrere pœnam excommunicationis latæ sententiæ; religiosos istos insuper introducetes mulieres incurrere pœnam privationis officiorum quæ habent, inhabilitatem ad alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis. De hac suspensione tacet Const. *Apostolicæ Sedis*, quæ tamen inter excommunicationes simpliciter reservatas R. Pontifici sub n. VII. recenset excommunicationem contra 'Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosque eas admittentes'.

TITULUS XXXVI.

De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ.

1. In sensu tituli arg. *cc. 4. et fin. ejusd.* sub appellatione *domus religiosæ* venit locus pius erectus auctoritate Episcopi licet non consecratus: scilicet monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, domus pro puerorum vel puellarum educatione, confraternitates, congregationes et in genere loca pia ad caritatis vel religionis opera exercenda, quæ fuerint auctoritate Episcopi instituta. Ex ipsa rubrica tituli quæ sensum habet determinatum et ex *cc. 3., 6., 7. et 8. h. t.* de jure communi Episcopus, qui nativo jure moderatur opera caritatis et religionis in sua diocesi, præest religiosis domibus; seu religiosæ domus subjiuntur jurisdictioni Episcopi. Hæc vero subjectio consideratur 1º. relate ad erectionem; 2º. relate ad modum existendi seu regimen earum.

2. Erectio, seu fundatio, aut ædificatio locorum religiosorum fieri debet cum interventu auctoritatis Episcopi *c. 4. h. t.* Hinc privatus homo poterit motu proprio erigere hospitale, sed religiosus locus non erit, nec immunitate aliisque privilegiis locorum piorum gaudebit, nisi Episcopi auctoritas intercesserit. Ita communiter DD. Aliquid vero dicendum de locis religiosis pertinentibus ad instituta Regularium. De erectione novorum monasteriorum sta-

tuit Trid. *c. 3. sess. 25.* erigi eadem non posse sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia. Accesserunt decretum Clementis VIII. *Quoniam ad institutum, 23. Julii 1603,* Decretum Greg. XV. *Cum alias* et Urbani VIII. *Rom. Pont. 21. Jan. 1625.* Ex his Constitutionibus deprehendimus 1^o. novam erectionem monasteriorum, domorum, collegiorum, aut conventuum cujuscumque ordinis religiosi sive mendicantium sive non perfici non posse absque licentia Episcopi loci et servata forma sacrorum canonum. Si secus fiat erectio a Superioribus regularibus, contra ipsos decernitur pœna privationis vocis activæ et passivæ, officiorum inhabilitatis et etiam excommunicationis. 2^o. Episcopus audire debet alios religiosos loci, et ad quatuor millia passuum distantiam incolentes, necnon cæteros interesse habentes in executione perficienda. Solet ad hunc effectum affigi ad valvas Ecclesiæ decretum ut omnes novam erectionem faciendam cognoscant, et querelas si quas habeant contra illam moveant. 3^o. Episcopus antequam consentiat, teneatur perpendere an saltem duodecim religiosi ali possint, et sustentari in monasterio sive ex redditibus, sive ex oblationibus et elemosynis fidelium. Si quæeratur utrum necessaria sit licentia etiam S. Sedis dicendum est eam certe requiri pro Italia et insulis adjacentibus. Ex Constitut. *Instaurandæ* Innoc. X. *an. 1652* Benedictus XIV. *De Syn. diœc. lib. 9. c. 1. n. 9.* docet communem sententiam esse et a tribunalibus adoptatam, requiri hanc licentiam etiam extra Italiam et adjacentes insulas.

3. De subjectione domorum religiosarum Episcopo quoad modum existendi seu regimen earum.

Si sermo sit de locis religiosis quæ ad familias regulares non pertinent, ratione subjectionis duo præsertim Episcopo competunt, scilicet jus visitandi eas, et jus exigendi quotannis ab administratoribus rationem administrationis rerum gestarum *c. 8. sess. 22. De Ref. et c. 9. ejusd. sess.*

4. In specie autem de religiosis locis spectantibus ad familias religiosas seu regulares hæc scitu necessaria sunt: Jure decretalium quamvis exemptio jam inducta erat, tamen adhuc vigebat principium 'omnia loca pia esse sub Episcopi potestate nisi contrarium probaretur', seu nisi probaretur exemptio. Exemptio enim non concedebatur in genere ordinibus religiosis, sed domibus singulis. Principium generale sumitur *capp. 1., 4., 6. h. t.,* exceptio præsertim in *c. 8. h. t.* exhibetur. At ex *c. 8. sess. 25. De Reg.*

in Tridentino exempta sunt tamquam ex regula generali omnia monasteria regularium ordinum a S. Sede approbatorum saltem in congregationem redacta.

5. Accessit inde regula statuta in decretis de celebratione Missæ S. Congr. Concilii *die 21. Junii an. 1625 § 14.* editis auctoritate Urbani VIII., et est, ut Monasteria omnia, Conventus, domus, congregatio regularium sive intra sive extra Italiam seu ultra mare et ultra montes nullibi recipiantur, nisi præter alia requisita in singulis ejusmodi locis duodecim saltem religiosi degere et ex redditibus vel ex consuetis elemosynis competenter ali et sustentari possint, alioquin monasteria et loca hujusmodi post illam epocham seu post diem *21. Junii 1625* recipienda, in quibus 12 religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, intelliguntur subjecta esse visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Conf. Fagn. *ad cap. 1. De instit. n. 52.* Animadvertendum vero est per hanc subjectionem potestati Ordinariorum parvos Conventus non fuisse subtractos a jurisdictione prælatorum regularium, ceu resolutum fuisse refert Fagnan. *com. in c. 4. De off. ord. n. 41.* Hinc in negotiis expediendis datur cumulativa potestas Ordinariis et prælatis regularibus.

6. At quid dicendum de monasteriis erectis ante decretum Urb. VIII.? De ipsis in genere valet dispositio Tridentina in *c. 8. sess. 25. De Reg.,* ut si fuerint in congregationem redacta, scilicet si conjuncta simul sint ita ut superiores communes in provincia habeant et capitula triennalia possint celebrare, exempta remaneant ab jurisdictione Episcopi. In specie vero relate ad monasteria Italiæ et insularum adjacentium servandæ sunt Constitutiones Inn. X. *Instaurandæ,* data *idib. Oct. an. 1652,* et alia *Ut in parvis, 10. Febr. 1654.* In prima Constitutione Pontifex suppressit plura monasteria seu conventus in quibus ob reddituum tenuitatem tot sustentari non poterant religiosi quot necessarii fuissent ad observantiam disciplinæ regularis. In altera duo statuit: 1^o. restituit quosdam conventus suppressos in 1^a Constitutione sed vult ut quoadusque reditus non sufficiant ad sustentandos commode et revera cum effectu non sustententur duodecim religiosi, conventus, et religiosi subjiciantur jurisdictioni Ordinarii, tamquam S. Sedis delegati. 2^o. In conventibus seu monasteriis non suppressis per primam Const. decernit Pontifex ut saltem sex reli-

giosi probatæ vitæ alantur quorum quatuor saltem sint sacerdotes maturæ ætatis. Quod si id quancumque non verificetur decernit Pontifex religiosos subjici ipso jure visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii. Animadvertit præterea per hanc suam Const. se noluisse derogare decreto Urbani VIII. 21. Jun. 1625.

7. Subjectio locorum piorum seu religiosorum auctoritati episcopali parit Episcopo jura et obligationes. Jura hæc et obligationes explicantur in titt. *De officio judicis ordinarii*, *De foro competenti*, *De censibus exact. et procurat.* In specie vero tenetur Episcopus advigilare, ut administratio rite procedat. Hinc administratores, sublato quolibet privilegio et consuetudine, tenentur reddere Episcopo quotannis rationem gestorum. Ita in *c. 9. sess. 22 De Ref. in Tridentino.*

8. Ad materiam tituli complendam dicendum aliquid est de *c. 9. h. t.* in quo prohibetur quominus novæ instituantur religiones et habitus assumatur in nova religione non adprobata. Hanc legem renovavit Gregor. X. in *c. un. h. t. in 6º.* et expresse reservavit S. Sedi adprobationem novorum institutorum religiosorum. Faciunt etiam ad rem *Clem. 1. h. t.* et *Extrav. Ratio recta* inter comm. *h. t.* necnon *cap. un. eod. tit. inter Extrav. Joann. XXII.* Ex quibus constitutionibus sequitur, nullum amplius institutum religiosum de novo institui posse ut jura et privilegia regularium habeat in Ecclesia nisi assentiatur Apostolica Sedes.

9. S. Sedes autem adprobare solet nova instituta vel cum votis solemnibus, vel solum cum votis simplicibus. Et quidem in formula generali approbationis instituti religiosi cum votis simplicibus solet S. Sedes integram relinquere jurisdictionem Ordinariorum. Unde religiosi institutorum hujusmodi ordinarie loquendo subduntur proprio Superiori quoad regimen internum, in reliquis Ordinario loci subjici solent. Animadvertendum vero est 1º. prohibitionem de non assumendo novo habitu intelligendam esse de habitu a pluribus collegialiter viventibus assumpto. Insuper hæc dispositio ita saltem in praxi explicata est ut non interdicator in aliqua peculiari Diœcesi ex Ordinarii licentia congregationem quandam sive virorum sive mulierum in communi viventium instituere. 2º. Nullam censuram ipso facto, nec jure antiquo regulariter incurrere emittentes professionem in religione nondum adprobata vel admitentes ad professionem.

10. At exceptio erat quoad tres religiones positive suppressas ita ut qui ausus fuisset eas iterum excitare incurreret ipso facto pœnam excommunicationis. Tales sunt 1º. religio Beguinarum olim in Alemania existens, de qua agit *Clem. 1. De Relig. Domib. et Extrav. Ratio recta*; 2º. institutum fratricellorum seu fratrum de paupere vita Beguinorum seu Bizocorum, de quo agit *Extrav. Joann. XXII. Sancta Romana h. t.*; 3º. Congregatio Jesuitissarum, de qua in Bulla '*Pastoralis Romani*' Urbani VIII. *an. 1631.* Pœnam excommunicationis non renovavit Pius IX. in *Const. Apostolicæ Sedis.*

TITULUS XXXVII.

De capellis monachorum et aliorum religiosorum.

1. Nomine capellæ in jure venit altare, aut oratorium, aut etiam ædícula sacra a templo sejuncta vel eidem adnexa. In sensu tituli nomine capellæ venit ecclesia curata seu parochialis unita monasterio.

2. Hæc unio potest esse *non pleno jure* scilicet ut ajunt quoad temporalia tantum. Per hanc unionem Ecclesia parochialis non mutat statum, sed permanet Ecclesia parochialis sæcularis, nec regitur per regularem, aut per vicarium, sed per clericum sæcularem et perpetuum parochum instituendum ab Episcopo a quo pendet plene quoad administrationem curæ animarum. Duo sunt in casu jura monasterii 1º. ut participet de fructibus beneficii; 2º. ut nominet clericum instituendum. De hac specie agit *c. 1. h. t.*

3. Secunda species unionis fit *pleno jure* et est quando titulus parœciæ transfertur in monasterium, ita ut monasterio vel ejus capiti competat administratio curæ animarum. Hæc unio mutat statum beneficii et ex sæculari illud facit regulare. Regitur autem per Vicarium qui potest esse etiam sæcularis quique destinatur a Superiore Monasterii, vel ab eo qui ratione officii habet titulum parœciæ. Debet vero probari ab Episcopo quia cura animarum in diœcesi pendet ab Ordinario. Hinc Vicarius quoad ea quæ ad curam et administrationem sacramentorum pertinent subest jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcopi *c. 11. sess. 25. De Reg.* Potest vero removeri vel a Superiore regulari, vel ab Episcopo, qui rogat Superiorem regularem, ut eum removeat.

4. Tertia species unionis ea est quæ fieri dicitur *plenissimo jure* et tituli sæcularis quodammodo extinctiva, quæque locum habet cum non solum titulus parochiæ transfertur in monasterium regularium, sed ipse populus eximitur a jurisdictione Episcopi, et subijcitur prorsus monasterio. Per hanc unionem constituitur territorium separatum, et Ecclesia nullius. In hac parœcia unita monasterio nihil potest Episcopus sed parochus tum quoad institutionem, tum quoad correctionem et visitationem, tum quoad remotionem pendet a Superiore seu Abbate regulari Monasterii. De his parœciis unitis Monasteriis loquitur Tridentinum in 2^a parte decreti c. 11. sess. 25. *De Regul.*

5. Si quærat in dubio quænam præsumatur facta unio, respondemus præsumi eam qui minus derogat juribus Episcopi, qui fundatam habet intentionem in jure pro libertate exercitii regiminis spiritualis in sua diœcesi.

TITULUS XXXVIII.

De jure patronatus.

1. Vocabulo *patroni* latini scriptores usitantur ad significandum defensorem vel provinciæ, vel civitatis, vel particularis causæ. Scriptores vero ecclesiastici præsertim post sæc. XII. patronos appellarunt fundatores Ecclesiarum aut beneficiorum et eos, qui ab ipsis causam habuerunt. Ex officio defensionis eosdem appellarunt advocatos, quamvis stricto sensu distinguerent advocatos et patronos ita ut patronus ille esset qui in omnia jura concessa fundatori succederet, advocatus vero qui succederet in officium defensionis ecclesiæ vel beneficii. Ita arg. c. 9. h. t.

2. Inspecta historia patronatus, inspectoque jure cuique patrono communi, jus patronatus definitur 'Jus seu potestas nominandi, vel præsentandi superiori ecclesiastico clericum promovendum ad beneficium vacans, competens fidelibus ob foundationem, ædificationem et dotationem Ecclesiæ'. Ex definitione duplex eruitur patronatus qualitas 1^o. ut consideretur ceu vinculum juris a pluribus æquiparatum servituti, quo limitatur et circumscribitur potestas Episcopi in collatione Ecclesiæ vel præbendæ vacantis. Hinc clericus si fuerit idoneus, promovendus est ad beneficium vacans. Quare actus institutionis quo superior beneficium clerico præsentato confert non liberalitatis sed necessitatis actus dicitur. Secunda

qualitas est ut nempe patronatus sit jus spirituale; nam ordinatur ad collationem beneficii et personam legitime designat, quæ ex institutione Superioris officium, et stationem sacram occupet et exerceat. Hinc ex tit. *De simonia* scimus patronatum non posse nec vendi, nec emi, quin incidatur in simoniam. Porro quisque noscit simoniacam labem contrahi quoties vendatur, aut pretio comparetur, vel quod gratiæ Dei donum est, vel quod ecclesiastica constitutione sacrum est. Nonnisi ergo ex privilegio et concessione Ecclesiæ in laicis residere potuisset patronatus.

3. Definitio proposita deducta est ex principali jure quod patronis competit. At ut conceptus juris patronatus plenius tradatur ab aliis doctoribus sequens proponitur juris patronatus definitio. Videlicet 'Jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera coherent, concessum iis qui beneficia vel Ecclesias fundarunt, ædificarunt, et dotarunt vel etiam iis qui ab iisdem causam habent'.

4. De variis speciebus juris patronatus.

Jus patronatus directe et proprie consistit in jure præsentandi clericum; at factum est ex usu Ecclesiæ ut institutor beneficii posset etiam designare genus personarum, vel ex aliqua familia, vel ex certa gente aut loco quæ personæ si essent idoneæ deberent a patrono necessario præsentari Episcopo ad assequendum beneficium. Hoc jus ut quis præsentari debeat, appellarunt DD. passivum patronatum, dum patronatum proprie dictum seu jus præsentandi appellarunt patronatum activum. Hinc prima divisio est in jus patronatus passivum et activum. Porro jus patronatus proprie dictum idest activum varias habet divisiones. 1^a Divisio est ut aliud sit ecclesiasticum, aliud laicale, aliud mixtum.

5. Ecclesiasticum est illud per quod provisum est Ecclesiæ, vel dignitati ecclesiasticæ non vero personæ. Scilicet est illud quod adnexum est alicui Ecclesiæ, vel præbendæ, vel officio sacro ita, ut jus habeat præsentandi ad beneficium patronatum clericus qui ad Ecclesiam illam pertineat, vel habeat præbendam aut officium. Quare jus nominandi procedit ex titulo ecclesiastico. Laicale illud est quod patrono competit ex titulo civili, ex gr. ex successione in aliqua familia. Nec officit si accidentaliter exerceatur ab aliquo clerico. Nam si ex titulo laicali clericus acquisivit jus præsentandi jus patronatus non desinit esse laicale.